



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. An Pœnitentia theologicè sumpta sit virtus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

virtualiter cum voluntate peccandi in posterum, ac proinde est propositum non peccandi de cetero. Cæterum cum voluntas sit potentia cæca, & egeat variis motivis secundum naturam actus elicendi, ad hujus actus elicentiam præcedit ex parte intellectus actus Fidei, quo illuminatur Voluntas, & ex parte voluntatis actus Spei obtinendæ à DEO veniæ, imò & actus timoris: quo in sensu loquitur Tridentinum sess. 14. cap. 4. dicens: *Contritio, qua primum locum inter dictos penitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Unde si talis actus est actus virtutis, habitus productivus istius actus erit virtus. Quapropter idem est querere in præsentia, an Pœnitentia theologicè sumpta sit virtus, quàm querere, an actus Pœnitentiæ theologicè sumptæ sit virtuosus.

SECTIO I.

An Pœnitentia theologicè sumpta sit virtus?

§. I.

3. **S**uppono primo aded conformem esse naturam ut rationali virtutem, & vitium aded difforme, ut ipso naturæ lumine, vel ipsis Ethnicis innotescat. Qua de causa antiqui Philosophi virtutem olim definiunt modo, quo postea Sancti Patres, & Doctores Theologi eam definiunt: *Virtus enim est recta qualitas stabilis in potentia, ac proinde est, habitus ad elicendos actus rectos, non vero irrectos:* sub qua consideratione convenit cum donis Spiritus Sancti; à quibus distinguitur, si in rigore metaphysico loqui velimus, quia donum Spiritus Sancti est ad operandum juxta regulas extraordinarias rectæ rationis: sic Sancta Apollonia sese in flammam injecit ex extraordinario impulsu Spiritus Sancti, qui cum sit Dominus vitæ & mortis, potest creaturæ suæ facultatem dare, ut ad majorem Dei gloriam sibi necem inferat, quod juxta ordinarias regulas rectæ rationis foret illicitum; exinde virtus juxta ordinarias rationis regulas operatur, quo in sensu Plato apud Eximium Doctorem disp. de *Virtutibus* sect. 1. virtutem ita definiit: *habitus animi, quo unaquæque potentia rectè exercet suas operationes.* Aristoteles verò 2. *Ethicorum* c. 6. sic: *habitus, qui bonum facit habentem, & opus ejus reddit bonum:* & infra: *Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens, prout prudens determinaverit.* Tum etiam 7. *Ethicorum* c. 3. *Virtus est dispositio Perfecti ad optimum.*
4. Antiquis Philosophis consonant Sancti Patres, & Theologi. Augustinus enim lib. 1. retract. cap. 9. apud Elparzam quæst. 75. de Pœnitentia: *Virtus est bona qualitas mentis, qua*

rectè vivitur, qua nemo malè vivit. Exinde D. Thomas 2. 2. quæst. 55. art. 4. in corpore dixit: *Virtus autem est habitus semper se habens ad bonum, & idè, ut discernatur virtus ab habitibus, que se habent ad malum, dicitur, qua rectè vivitur.* Ut autem discernatur ab his, qua se habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum, dicitur, qua nullus malè vivit. Tum etiam quæst. 2. de *Virtutibus* art. 2. in corpore. In definitione virtutis aliquid ponitur, quod spectat ad perfectionem actus, & aliquid ad perfectionem operantis: ad perfectionem actus duo requiruntur: requiritur autem, quod actus sit rectus, & quod habitus non possit esse principium contrarii actus. Quomodo autem hæc omnia vera sint in virtutibus naturalibus, controversum Theologi in Tractatu de Virtutibus. Ad nos autem solum spectat rationem reddere in præsentia de Virtutibus per se infusis, cur scilicet non possint in actus pravyos influere.

Ratio est, quia Deus est causa specialis actus supernaturalis. Cum verò non possit esse causa specialis actus pravi, exinde habitus virtuosus per se infusus non potest inclinare in actus pravyos. Unde si muretur circumstantiis, in quibus actus elicendus, non amplecteretur objectum rectum, sed irrectum, Deus non applicaret concursum illius habitus ad elicendum actum pravam circa tale objectum: Sic antedictum Christum per actum fidei credebatur habere Christum venturam, post adventum vero Christi non potest jam talem actum elicere ex actibus fidei: quæ ratio etiam militat pro habitu acquisito, si sit intrinsecè supernaturalis. Habitus verò per se infusus in eo distinguitur ab acquisito, quia habitus acquisitus, utpote ex actuum repetitione comparatus, generatur et actibus, ac proinde limitatur ad similes actus, imò cum actus, à quibus comparatur, supponant simpliciter posse, habitus acquisitus non deservit ad simpliciter, sed ad facile posse, ac proinde non se habet tanquam potentia, sed tanquam facilitas potentia: habitus verò per se infusus, cum sit qualitas per se stabilis à Deo infusa ad simpliciter posse, se habet tanquam potentia. Exinde

Suppono secundò magnam esse distantiam inter habitum per se infusum & acquisitum, consistens in eo, quod habitus acquisitus, utpote deserviens ad facile posse, potest esse diversus secundum diversam difficultatem. Cum autem diversa difficultas veniat non solum ex objecto formali, sed sæpè etiam ex exterioribus, quæ videmus, multos esse faciles ad abstinentiam in cibo, non in potu; & è contra: Exinde probabile est, quod multi Doctores cum Arrago & Bernal defendunt; nimirum non solum ex objecto formali, sed etiam posse multiplicari habitum acquisitum ex objecto materiali: contra verò habitus per se infusus cum deserviat ad simpliciter posse, & se habeat tanquam potentia, solum debet multiplicari ad modum potentia.

potentiæ ex objecto formali, in quod per suum actum tendit habitus cum potentia, licet potentia; upote latius patens, quam habitus, habeat objectum formale magis extensum, quam objectum formale habitus: Sic quia lucidum coloratum est objectum formale potentia visiva; eadem potentia visiva se extendit ad omne lucidum coloratum: pariter potentia intellectiva ad omne intelligibile, sive affirmandum, sive negandum, & volitiva ad omne bonum, sive honestum, sive utile, sive delectabile; nec solum ad amplectendum illud; si sit naturæ rationali conformis, sed etiam ad fugiendum, si sit disforme.

Quapropter sicut potentia assignandum est objectum formale distinctum ab ipso actu, in quod tendat actus; ita pariter & virtuti per se infusa; potentia siquidem non specificatur per actum in ordine ad actum, sed per actum in ordine ad objectum: sic potentia visiva non specificatur per visionem in ordine ad visionem; sed in ordine ad lucidum coloratum, nec potentia cognoscitiva per cognitionem in ordine ad cognitionem, sed in ordine ad objectum affirmatum, vel negatum: sic potentia volitiva non specificatur per actum volitionis in ordine ad volitionem, sed per volitionem in ordine ad objectum volitum; cum autem potentia volitiva, sicut & reliquæ omnes intentionales, non solum habeat objectum bonum quod amplectatur, sed etiam objectum malum quod fugiat, & specificatur secundum formalitatem amplexivæ ab objecto bono, & secundum formalitatem averzivæ ab objecto malo. Unde & virtus per se infusa voluntatis, qualis est virtus Poenitentia, de qua agimus, non solum habet objectum malum, à quo fugiat, circa quod potest tendere actus, sed etiam objectum bonum, quod amplectatur, ideoque non solum potest se exercere fugiendo peccatum, sed etiam amplectendo bonum peccato oppositum.

Ratio autem horum omnium, & quidem Philosophica, & Theologica est: quia ad eandem virtutem, ad quam spectat trahere ad se bonum, spectat etiam retrahere à se bonum, spectat etiam retrahere à se, sive impedire oppositum malum: etenim ut receptum est apud omnes Theologos proloquium illud Dionysii cap. 4. de divin. nom. *Bonum ex integra causa; malum autem ex quocunque defectu.* Unde Divus Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 7. ad tertium dixit: *Sive voluntas sit ejus quod est secundum se malum, & sub ratione boni, sive sit bona sub ratione mali, semper voluntas erit mala: sed ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni: sic malum est furari ad dandam elemosynam, & recitare propter vanitatem.* Rationem à priori assignavit Eximius Doctor: quia bonum est perfectum; malum autem defectuosum; & licet ad defectuosum sufficiat in uno deficere, ad perfectum verò requiritur, quod ex nulla parte ha-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

beat defectum. Quapropter si virtus non possit retrahere à se oppositum malum, neque ad se possit afferre suum speciale bonum, ex quo originem habuit paremmia illa celebris antiquorum: *Contrariorum eadem est ratio.* Exinde

Suppono tertio objectum sive bonum sive malum morale, circa quod potest virtus tendere per actus amplexionis aut fugæ, duplex esse: alterum intrinsecè, & alterum extrinsecè bonum aut malum. Exinde est duplex bonitas, & malitia moralis objectiva, altera intrinsecè, & altera extrinsecè, ut constabit numero 11. Ratio est quia bonitas moralis objectiva stat in prædicatis objecti ex se conformis naturæ rationali ut rationali; malitia verò in prædicatis objecti ex se disformis. Sicut enim spectat ad lineam sensitivam operari sensitivè, ita ad rationalem operari benè, vel malè moraliter. Unde sicut bonitas objectiva sensibilis, v. g. bonitas caloris respectu illius qui laborat frigore, non stat in approbatione, aut conformitate cum cognitione sensibili, sed in conformitate cum natura sensibili; ita bonitas objectiva moralis non stat in approbatione, aut conformitate cum cognitione rationali, sed cum natura rationali, ut rationali.

Discrimen verò quod intercedit maximum inter naturam ut sensibilem, & ut rationalem, nimirum quod natura ut sensibilis non operatur imputabiliter; benè verò ut rationalis, stat in eo quod natura sensibilis non operatur cum adverentia ad honestatem, benè vero natura ut rationalis. Et cum ista advertentia seu dictamen quod habet natura rationalis, vel quo caret pro culpa sua, sit lex naturalis, ea de causa omne peccatum, cum afferat imputabilitatem, arguit etiam transgressionem contra legem salutem naturalem: quod significavit Divus Paulus ad Rom. 2. dicens: *Cum enim gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ leges sunt faciunt ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex.* Quod & in veteri Testamento significavit clarissime Script. Sacra Psal. 4. ubi ad illam interrogationem, in qua sermo est de bono honesto, nimirum *quis offendit nobis bona?* ita responder: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Unde ipso naturæ lumine notum est amplexionem boni cogniti ut naturæ rationali conformis esse bonam & honestam; amplexionem verò mali cogniti ut naturæ rationali disformis esse peccaminosam.

Cæterum cum sint aliqua objecta neque conformia, neque disformia intrinsecè naturæ ut rationali, sed indifferentia ut præcipiantur & sint bona: v. g. deambulatio præcepta à superiore; vel ut prohibeantur & sint mala v. g. comestio carnis in die Veneris; alia verò ita sunt intrinsecè naturæ ut rationali disformia, ut quantenus concepta prout sunt in se, nunquam possint à dictamine rationis non reprobati, v. g. intemperantia, mendacium, odium Dei, &c. ea de causa altera dicuntur extrinsecè mala; sive

mala, quia prohibita; altera verò intrinsicè mala, sive prohibita, quia mala. Idcirco Innoc. XI. inter eas 65. propositiones jure merito damnavit 48. quæ sic habebat: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicitur, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Tum & 49. quæ sic habet: *mollities jure natura prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Nec refert quod prohibitio divina sit bona, ne reddat objectum extrinsecè malum: quia ut latè suo loco dicemus præceptum bonum afficit extrinsecè suum objectum per convenientiam, & sic denominat illud extrinsecè bonum; prohibitio verò bona afficit suum objectum per contrarietatem, & sic reddit illud extrinsecè malum. His positis.

S. II.

12. **A**Ssero primò cum omnibus Theologis undè dempto Cajetano. Pœnitentia theologice sumpta absolute, & absque addito limitante est virtus. Probatur primò: actus pœnitentiæ theologice sumptæ est absolute virtuosus: ergo Pœnitentia theologice sumpta est absolute virtus. Consequentia tenet ex dictis num. 2. Antec. verò probatur: actus pœnitentiæ theologice sumptæ ex Tridentino citato eo num. 2. est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*; sed talis actus est absolute virtuosus: ergo, &c. Probatur Minor: actus conformis naturæ rationali ut rationali est absolute virtuosus: sed talis actus est conformis naturæ rationali ut rationali: ergo, &c. consequentia tenet, & Major constat à num. 8. Minor verò Probat: non solum est conformis naturæ ut rationali amplexio boni sibi conformis, sed etiam fuga mali sibi disformis: sicuti non solum est conveniens naturæ ut sensitivæ alimentum, quo acquirit bonum, sed etiam medicina, qua expellit, & impedit malum: atqui actus pœnitentiæ est vera fuga mali naturæ rationali disformis: ergo, &c.

13. Probatur secundò: Deus consulit, & præcipit pœnitentiam, ut constat ex Lucæ 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Actorum secundo. *Pœnitentini, & baptizetur unusquisque vestrum*: sed quod Deus consulit, & præcipit est bonum, vel intrinsicè, si est præceptum quia bonum, vel saltem extrinsecè; cum constituatur bonum quia præceptum, ex dictis num. 11. ergo, &c. Confirmatur primò ex Cathéchismo Tridentini tit. de pœnitentiâ dicente: *quod autem intima hac pœnitentia, ut antea diximus, ad virtutem pertineat, aperte ostendunt multa, que de pœnitentiâ tradita sunt præcepta. Lex enim de iis tantum actionibus, que suscipiuntur cum virtute præcipit*: Ergo, &c. Confirmatur secundò quia actui pœnitentiæ

convenit definitio actus virtuosus, ut conlabit expendenti definitiones virtutis tradita à Philosophis, Theologis, & SS. PP. à numero tertio: ergo &c. Confirmatur tertio ex S. Thoma q. 85. art. 1. dicente: *Unde manifestum est, quod pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus vel actus virtutis.* Ubi Divus Thomas notanter addit: *pœnitentia de qua nunc loquimur, propter rationes plurimas, quatum una est, quia non agit de pœnitentia physice; aut philosophicè sed theologicè accepta.*

Respondetis cum Cajetano 2. q. 144. art. 1. pœnitentiam non esse absolute virtutem, sed cum addito limitante ex suppositione; quia Divus Thomas 3. part. quest. 85. art. 6. ait pœnitentiam non pertinere ad perfectionem hominis simpliciter, sed ex suppositione peccati; & articulo primo dixerat, magis posse dici de pœnitentiâ, quam de verecundia, quod sit virtus; ubi *ly magis* significat neutram esse studiosi nisi ex suppositione. Contra tamen: suppositio, quæ non tollit rationem absolutam virtutis ab habitu pœnitentiæ, non impedit, ut habitus pœnitentiæ sit absolute virtus, & actus pariter virtuosus: hic suppositio causæ productivæ ut dicitur Petrus à parte rei, quæ non tollit à Petro rationem absolutam hominis, non impedit, ne Petrus sit absolute homo: atqui suppositio præcedentis peccati, ut circa illud dicitur actus pœnitentiæ, non tollit rationem absolutam virtutis ab habitu pœnitentiæ: ergo &c. Major & consequentia tenet: Minor autem patet: quia illa suppositio non tollit habitus pœnitentiæ influat in actum rectum, vel quod actus pœnitentiæ non sit naturæ ut rationali conformis; sed habitus, qui non influat in actum incorrectum, sed in actum rectum, & naturæ ut rationali conformem, participat absolutam rationem virtutis; & actus est absolute virtuosus, ut constat à numero tertio, ergo, &c. Unde ista Cajetani responsio, neque D. Augusti neque D. Thom. neque Philosophis & Theologis consona est; ut ex ibi dictis manifestè sit apparet.

Assero secundò: Actus pœnitentiæ theologice sumptæ non includit solum dolorem, neque solam peccati detestationem, sed simul complectitur saltem virtualiter formalitates doloris, detestationis, & propositi non peccandi de cætero. Probatur primò: actus pœnitentiæ theologice sumptæ est ille contritionis actus five simplex, five complexus; quem Deus peccatori præcipit, & per se necessarius est in hac providentia, ut à peccato vel extra, vel intra Sacramentum resurgat: atqui talis actus neque est solus dolor, neque sola detestatio peccati, sed utramque formalitatem complectitur cum proposito non peccandi de cætero, saltem virtualiter: ergo &c. Consequentia tenet, & Major patet: quia actus contritionis extensè dicitur actus pœnitentiæ theologice sumptæ, quatenus ex Scriptura Conciliis, & PP. expressè legitur à Theologis necessarius, ut aliquis verè

dicitur pœnitens, & recte dispositus ad remissionem peccati, saltem intra Sacramentum: Minor verò probatur ex Tridentino citato num. 2. & ex Florentino in decreto Eugenii dicente: *quartum Sacramentum est pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguntur partes, quarum prima cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: ergo &c.*

16. Confirmatur illi Sanctorum clamores, qui ut adus pœnitentiæ à Sacra Scriptura laudantur, peccatorum dolorem detestativum includunt cum proposito non peccandi de cætero: ergo &c. Probatur antecedens ex Psalmo 6. ubi David pœnitens ita fatur: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo: ly etenim laboravi, dolorem, & detestationem significat: ly lavabo, & rigabo propositum non peccandi de cætero clare præferunt. Sic Ezechias Isaiæ 38. recogitabo omnes annos meos in amaritudine anima mee. Quod latus significavit Deus in veteri Testamento Ezechiae 18. dicens: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruina iniquitas. Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus pravaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Tum & Christus Dominus in novo Testamento Matth. 11. dicens: *Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent: ergo &c. Vide num. 25.***

17. Probatur secundò Beati non agunt pœnitentiam, neque damnari in Interno; sed Beati habent detestationem magnam peccati, & damnari dolorem ratione peccati: ergo neque solus dolor, neque sola detestatio sufficit ad actum pœnitentiæ. Rursus plures peccatores dolent de peccatis commissis, quia se vident reos æternæ pœnæ; verum cum adeo dediti sint detestationibus, non displicent in illis, sicut oportet, ideoque nec peccata detestantur, nec propositum summum concipiunt ulterius non peccandi; imò erit propter specialem turpitudinem aliqua detestentur, non detestantur omnia gravia; unde fit ut solum eliciant pœnitentiam vel grammaticaliter, vel ad summum philosophicè sumptam, secus autem theologice acceptam ergo ad pœnitentiam Theologicè sumptam: neque sufficit solus dolor, neque sola detestatio, sed dolor efficax, sive detestativus peccatorum impossibilis cum voluntate peccandi de cætero. Confirmatur à SS. PP. per conceptum à nobis expositum pœnitentiæ theologice acceptam explicantibus. Sic Gregor. hom. 34. in Evangelia: *Pœnitentiæ agere est, perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Cypr. ser. de lapsis: agite pœnitentiæ plenam, dolentis, & lamentantis animi probate tristitiam. Hieronym. in illud Psalm. 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, sic dicit:*

vera est pœnitentia iugiter fletibus commissæ diluere, & diluta non iterare: ergo &c.

18. Afferò tertio: Ad complectendas formalitates doloris, detestationis & propositi non opus est duobus actibus distinctis; sed in eodem actu possunt omnes conjungi. Probatur primò. Licet nulla sit repugnantia in eo, quòd aliquis per unum actum eliciat dolorem, & detestationem de omnibus peccatis à se commissis; præferim si Deus revelaverit, quæ sint peccata ab ipso commissa, & per alium actum propositum formale non peccandi de cætero; nihilominus unus & idem actus potest etiam omnes istas formalitates rectè complecti: ergo &c. Probatur antecedens. Licet intellectus possit per unum actum cognoscere albedinem; & indivisibilem actum albedinem & nigredinem simul cognoscere: ergo licet possit voluntas per unum actum dolere, & detestari peccata; & per alium actum proponere nunquam peccare de cætero; poterit nihilominus per eundem; & indivisibilem actum dolere, detestando peccata, & proponendo nunquam peccare de cætero. Probatur consequentia: idè potest intellectus cognoscere simul per eundem actum albedinem & nigredinem; quia expressio albedinis non est impossibilis in eodem signo cum expressione nigredinis: atqui dolor & detestatio peccati non est impossibilis in eodem signo cum proposito non peccandi de cætero; imò ut experientia constat ita semper, aut ferè semper proponitur verè pœnitenti: ergo &c.

19. Probatur secundò. Voluntas ut potentia libera potest elicere actum; quo diverso modo tendat in objectum secundum diversam objecti propositionem: sic quando bonitas objecti proponitur ut absens, potest elicere actum desiderij si verò eadem bonitas proponatur ut præsens, & possessa, potest circa illam elicere actum detestationis; si ut præsciens à possessione, actum amoris secundum se; si ut absens & non consequenda, actum desiderij diffidentialis, quæ est desperatio; si ut absens, & consequenda, actum desiderij fiducialis; qui est spes, & sic de aliis affectibus secundum diversas objecti boni propositiones. Pariter etiam potest elicere diversos actus fugæ, vel mixtos ex fuga & profecutione secundum diversas propositiones objecti mali; aut unius boni, & alterius mali: ergo quando voluntati proponitur objectum dignum simul dolore, & detestatione propter malitiam gravem, quam semper debet fugere voluntas; potest elicere actum; quo doleat detestando peccatum grave, & proponendo nunquam de cætero malitiam gravem committere. Ex dictis;

6. III.

20. **F**It primò, dolorem non se extendentem ad omnia peccata commissa; non esse actum pœnitentiæ theologice sumptæ; sed pœnitentiæ
Cccc 3 tia

xiæ vel grammaticaliter, vel philosophicè acceptæ: unde si per diversos actus doleret quis de omnibus peccatis à se commissis quorum nullus esset adhuc virtualiter propositum non peccandi de cætero, nullus eorum actuum, neque aggregatum ex illis constitueret pœnitentiam actualem theologicè sumptam, bene verò simul cum proposito, vel formali, vel saltem virtuali non peccandi de cætero, ut constat ex doctrina Tridentini tradita num. 2. Licet enim illi actus ab eadem virtute procederent, non ideo essent omnes actus pœnitentiæ theologicè sumptæ: sic in sententiâ ferè omnium Theologorum, & omnium adversariorum, cum quibus infra contendemus ad eandem virtutem ad quam spectat elicere gaudium circa bonum, quod amplectitur, spectat etiam ante possessionem elicere desiderium illud consequendi, & post consecutionem delectationem de illo ut possessio ex dictis numero superiore. Unde sicut esset inutilis arguendi modus: hic actus elicitus ab hac virtute est desiderium, pariter esset inutilis arguendi modus: hic actus elicitus ab hac virtute est actus pœnitentiæ theologicè sumptæ: ergo omnes actus eliciti ab hac virtute sunt desiderium, pariter esset inutilis arguendi modus: hic actus elicitus ab hac virtute est actus pœnitentiæ theologicè sumptæ: ergo omnes actus eliciti ab hac virtute sunt actus pœnitentiæ theologicè sumptæ. Vide num. 75.

21. Fit secundò dolorem detestativum peccati commissi ob motivum generale se extendens ad omnia peccata; v. g. propter turpitudinem offensæ Dei, vel ne peccator incurrat pœnas inferni, quas peccatum grave meretur, vel ne amittat gloriam, quâ privat quodcumque lethale, & sic de aliis pœnis, ut à Deo ratione peccati infligendis esse virtualiter dolorem, & detestationem omnium peccatorum, & propositum non peccandi de cætero: ac proinde & se solo esse actum pœnitentiæ theologicè sumptæ: Ratio est quia propositum à Tridentino requisitum, ut habet sess. 14. cap. 4. est actus voluntatis ita fugiens peccatum, ut ex se voluntatem peccandi excludat; sed hæc omnia habet dolor detestativus peccati ob motivum generale, ut per se constat: ergo &c.

22. Fit tertio actum pœnitentiæ theologicè sumptæ esse supernaturalem. Ratio est quia cum illo dolemus, sicut oportet ad gratiam obtinendam, sed cum dolore naturali, utpote omnino improporcionado non possumus dolere sicut oportet ad gratiam obtinendam: ergo &c. Exinde Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. 4. docet non solum contritionem perfectam, verum etiam contritionem imperfectam, sive attritionem esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsium, ac proinde est actus verè supernaturalis: cum autem talis actus sit homini omnino necessarius, & valde frequens, & ad actus necessarios, & valde frequens detur virtus per se infusa; exinde ad talem actum elicendum datur virtus per se infusa, quæ vocatur pœnitentia ut ex Scriptura Conciliis, & PP. supra adductis manifestè constat. Quamobrem pœnitentia

sumpta in sensu Scripturæ, Conciliorum & PP. erit virtus per se infusa voluntatis ad eliminandum dolorem detestativum de omnibus peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero. Ex quo essentia, & existentia pœnitentiæ facta apparet.

Fit quartò mollem Lutheranorum respicientiam non esse virtutem pœnitentiæ theologicè sumptæ, de qua huc usque egimus, neque pœnitentiæ restrictè acceptæ, de qua loco supra dicimus: Lutherus enim & cum ipso Hæretici hujus temporis cum omnia aspera fugiant, & mollia quæque sectentur, pœnalque & satisfactiones pro peccatis commissis detestentur, consequenter docent pœnitentiam non impetare dolorem, & detestationem peccatorum: imò talem dolorem, & detestationem facere hominem magis hypocritam, sed significat tantum fidem & propositum novæ vitæ incipiendæ, & simplicem respicientiam, vitæque novitatem, doloris de peccatis, & pœne omnino expertem; ideoque vocem *Metaniam*, quæ in textu græco Bibliæ habetur, & significat pœnitentiam, vertunt respicientiam, quæ solent propositi, vel mentis emendationem significare. Hæc autem omnia esse signa inimicorum Dei clarè constat ex dictis num. 16. ubi Scriptura Sacra cum laude proponit illos clementer doloosos Sanctorum pœnitentiam, & ex num. 17. ubi SS. PP. per dolorem detestativum peccati explicant actum pœnitentiæ. Quin imò & talem actum esse honestum facile probatur rationibus adductis à num. 12. cum sit natura ut rationali conformis vide à num. 25. & 30.

Quapropter quando Scriptura Sacra pœnitentiam vocat *Metaniam* live respicientiam, non loquitur de quacumque respicientia, sed de dolorosa à nobis explicata, cui optimè convenit ratio respicientiæ: sic Basilus or. 3. de *Siccitate pœnitentiæ Nimivitarum*, quæ ut dicitur Jonæ 3. in cinere, sacco, & quoniam fuit *Metaniam* appellat. & Lactantius lib. 6. de *divinorum institutionum* c. 24. *Metaniam* latine reddit respicientiam ita dicens: *Resipiscere quoniam errati piget, ac se ipsum castigat demerita, confirmatque subinde ad rectius vivendum.* Quæ de causa Authores latini per expressionem doloris explicant pœnitentiam. Sic Cicero in oratione pro Cælio: *id nunquam tam acerbe poterit ut cum pœnitat.* Ovid. lib. 1. de *Ponto* eleg. 1.

Pœnitet o si quid miserorum credimus meum
Pœnitet & falko torquor ipse meo.
Quod satis expressit Aufonius, dum fides illius antiquitatis Dea pœnitentiam exprimens propter mala, quæ fecit, & bona, quæ non fecit ita dixit: *Sum dea, quæ fallis, non fallitur exigo penam, nempe ut pœnitat, sic metaniam vocor.* Videatur Bellarminus lib. 2. de *Pœnitentia* cap. 7.

Exinde apparet hujusmodi hæresim ex liberato cerebro, & excæcata duntaxat mente promanare potuisse, cum adeò clarè le opponat lauitatis auctoribus; Theologis, Patribus, & PP.

Conciliis, & Sacris Scripturis. Unde iure optimo Tridentinum sess. 14. cap. 4. istos hæreticorum errores per hæc verba damnavit: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem à peccato, & vitam novam propositam, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et certe qui illos Sanctorum clamores consideraverit, tibi soli peccavi, & malum coram te feci: laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime mee: & alios hujusmodi generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam antea vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione mansisse.*

26. Fit quinto dolorum detestativum, & propositum constitutum hujus actus generalis penitentiae theologice sumptæ esse actum efficacem; aliter potius esset pura displicentia, quam dolor detestativus, & potius esset velleitas, quam voluntas impossibilis cum voluntate peccandi, quam requirit Tridentinum; adeoque licet dolor inefficax, & velleitas non peccandi possent aliquando constituere actum penitentiae vel genericæ, vel philosophicæ sumptæ, non valent constituere actum penitentiae theologice sumptæ. Fit sexto, peccatorem elicientem dilectionem Dei super omnia absque advertentia suorum peccatorum, adeoque absque illorum contritione, recepturum gratiam promissam dilectioni; exinde tamen non excusari ab obligatione eliciendi actum penitentiae; quando advertat, se teneri illam elicere, aut quando velit confiteri: imò ut notant theologii, impossibile est, quòd cum aliquis Deum super omnia diligit, advertat se peccata commisisse: quin per eundem vel diversum actum ea detestetur: illa enim dilectio Dei est votum adimplendi omnia, ad quæ homo tenetur, ac proinde & eliciendi penitentiae actum, quando teneatur illum elicere. Unde in casu peccati solum per accidens ex accidentaliter inadvertentia potest peccato elicere dilectionem perfectam absque contritione, secus autem per se; ac proinde contritio semper est per se necessaria ex dictis num. 13. ut expressè definit Tridentinum sess. 14. cap. 4.

S E C T I O II.

Solvuntur Opposita.

§. I.

27. **O**bjicies primo contra primam assertionem: Nullum aliud Sacramentum includit ut partem sui constitutivam actum virtutis: ergo neque Sacramentum penitentiae; ac proinde neque actus penitentia erit virtuosus neque penitentia erit virtus. Confirmatur primò: Ideò verecundia non est virtus ex Ari-

stotele 4. *Ethicorum* cap. 9. quia est passio quadam appetitus sensitivi cum quadam corporis commotione; nempe cum rubore, siquidem qui verecundantur, rubescunt; sed etiam penitentia est passio appetitus sensitivi cum corporis immutatione; hoc est cum fletu, ut constat ex Gregorio citato num. 7. ergo &c. Confirmatur secundò ex ipso Aristotele 7. *Ethicorum*, idèd verecundia non est virtus; quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, verecundia vero non est dispositio perfecti, sed imperfecti, cum sit de actu turpi, ac proinde supponat in subiecto actum turpem; sed etiam penitentia supponit in subiecto actum turpem nempe peccatum: ergo &c.

28. Resp. conc. antecedens, & nego consequentiam: quia partes constitutivæ sacramentorum pendunt à libito, & institutione Christi Domini: cum autem Christus Dominus determinaverit pro materia Penitentiae Sacramenti actum virtuosum penitentiae; secus autem pro materia aliorum Sacramentorum, exinde ad solum Sacramentum penitentiae pertinet tanquam materia actus virtutis, secus ad alia Sacramenta; in his enim quæ à libito Christi Domini dependunt, inutilissimum est arguendi modus sumpta paritate unius ad aliud. Sic omnes merito iriderent arguentem hoc modo: nullum Sacramentum præter Sacramentum Confirmationis habet pro materia remota chrisma; ergo neque Sacramentum confirmationis. Pariter in nostro casu.

29. Ad primam conf. conc. Maj. & nego Min. actus enim penitentiae non est passio appetitus sensitivi, sed actus rectus, & electivus voluntatis, ut manifestè constat ex dictis à num. 12. licet ex illo non raro sequatur passio appetitus sensitivi, ut fletus, & aliæ similes, quod fatemur cum SS. PP. & experientia satis ostendit, quæ videmus flere & tristari illos; qui ingenti penitentia moventur: hæc autem passio appetitus sensitivi, licet sit effectus actus virtuosus, non est actus virtuosus; adeoque in hoc effectu convenit penitentia cum verecundia, secus in ratione virtutis; si tamen pro verecundia sumeretur actus elicivus voluntatis, naturæ ut rationali conformis, tunc jam esset virtuosus, ut cum Arriaga & Vazquez communiter docent Recentiores. Ad secundam confirmationem nego Maj. verecundia enim ab Aristotele, & D. Thoma non excluditur à ratione virtutis ex eo, quòd ante ipsam præcedat actus turpis, sed quia est motus indeliberatè confluxens ex apprehensione dedecoris ob turpe factum; quod in faciem nobis objicitur: sicque ejus turpitudine apparet præsens factem intentionaliter; ex quo dimanat illa passio appetitus sensitivi, quæ vocatur verecundia, idèdque dum erubescimus; natura indeliberato pudore tacta sanguinem in faciem effundit.

30. Quamobrem D. Thomas 2. 2. q. 144. dicit verecundiam non esse virtutem, sed passionem laudabilem, tanquam indicium bonæ indolis.

Activa